

CERTAMEN  
CAPITOLINVM  
LXII

OMNIBVS LATINARVM LITTERARVM LINGVAEQVE  
STVDIOSIS HOMINIBVS PROPOSITVM  
A. MMX



INSTITVTVM ROMANIS STVDIIS PROVEHENDIS

## CERTAMEN CAPITOLINVM LXII

INSTITVTVM Romanis studiis provehendis, auspiciis et impensas adiuuantibus Administro humani civilisque cultus bonis servandis atque operis fovendis et Romanae civitatis Magistro, ad novum Capitolinum Certamen omnes omnium gentium Latinarum Litterarum Linguaeque studiosos homines invitat.

Certamen praeterea proponitur in duas partes divisum.

Quod ad priorem partem attinet, iudicum collegium attente considerabit ac sine provocatione iudicabit doctorum virorum opera in lucem edita annis tantum MMIX et MMX: victori praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen atque annum diemque certaminis praeferebat. Huic sigillo quingenti Eurodenarii adiecti sunt.

Quod autem ad alteram Certaminis partem pertinet, iudicum collegium attente considerabit et iudicabit iuniorum studiosorum opera ad ipsum Institutum missa ante Kal. Febr. proximi anni (vide caput III Certaminis legum). Qui victor de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, qui in antica parte Capitolii imaginem, in aversa iuvenis nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri ducenti Eurodenarii adiecti sunt.

Ceteri petitores utriusque partis Certaminis, qui digni habiti sint, laude ornabuntur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, in aedibus Capitolinis Romanae civitatis Magister renuntiabit.

I) Operibus ad Latinam linguam, ad artem grammaticam, ad historiam litterarum Latinarum pertinentibus certare licet. Excipiuntur compilationes et scripta gymnasiis lyceisque destinata.

Operibus ad utramque Certaminis partem pertinentibus impressus sit annus MMIX vel MMX: libelli omnes Latino vel nostrae aetatis sermone, id est Britannico, Francogallico, Germanico, Hispanico et Italico, sint scripti neque praemio vel laude iam sint ornati.

Praemium vel laus non illis deferetur, qui e vita excesserunt.

II) Alterius partis petitores omnes licebit Certamen adire *uno libello*: petitores vero pridie Kal. Febr. a. MMXI non amplius triginta quinque annos nati sint.

III) Tria libellorum suorum exemplaria, tabellariorum diligentiae commendata, mittant scriptores aemuli ad *Istituto Nazionale di Studi Romani - Ufficio Latino - Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 - 00153 Roma* ante Kal. Febr. proximi anni.

IV) Iudices erunt tres viri ab Administro humani civilisque cultus bonis servandis atque operis fovendis et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Opuscula - iudicio publicato - non remittentur, sed auctoribus praesto erunt, ut suum unicuique reddatur, apud Institutum Romanis studiis provehendis, quod unum exemplar servabit. Scripta, quae auctores non abstulerint, sexto exacto mense post iudicium publicatum non reddentur.

D. Romae Kal. Iun. A.D. MMX ab V. c. MMDCCCLXIII

PAVLVS SOMMELLA

INSTITVTI PRAESES